11386.e.30.
1-4.
1

Nile

NILUS.

63

AUCTORE

CLERICO GALLICANO.

1799.

NILUS.

NOS quoque non peritura juvat memorare perenni
Carmine facta virum, et dulces celebrare triumphos.
Virtutis tu diva parens, lætiſſima tellus,
Anglia, grande decus, magnum, et venerabile nomen,
Quâ pietas, patriæ leges, ſanctiſſima jura,
Priſca fides, ipſo monſtranti principe regnant,
Advenias tu fauſta, precor, ſuccurre canenti
Natorum famam, et ſeros auctura nepotes;
Ξεινια μικρα fero, non ſpernis ab exule munus.
Et tu maxima laus, doctrinæque inclyta nutrix,
Ignoſcas, tua ſi figam veſtigia ſupplex,
Ponè ſequar, liceat rapidos effundere verſus,
Mæcenas en ipſe jubet, ſint judice digni.

Oblitus bellorum urnâque reclinis, ovanti
Murmure gaudebat Nilus, volventibus undis.
Olli blanda quies, nullus movet æquora ventus,
Nullaque tempeſtas cœlo demiſſa, vel imber
Lympharum exagitat molem vel littora verrit,

Conſcius æterno fluvius delabitur æſtu.
Horridus extemplò fragor intonat, omnia latè
Reſpondent concuſſa ſono, geminantque tumultum.
Ipſe Deus terrore riget, gravidamque profundo
Cervicem limo attollens, videt undique turmas,
Cernit et arma pavens, ſtantemque ad littora claſſem,
(Claſſem, ſic Superi voluere, Britannia juſſit,
Pœnas mox ſcelerum penſuram ultricibus armis).
Agnoſcitque gemens triplici partita colore
Signa, feroſque videt perfuſo ſanguine Gallos.
Affatum tunc iſta ferunt: " Temerarius oras
" Hoſtis adire meas, ferroque invadere ſedes
" Audet, et inſultans mediâ conſiſtere terrâ.
" Heu! miſeranda fovens quæ nutriit arva quotannis
" Fluctus, et undanti texit ſitientia limō,
" Quæ vos fata manent, fructus prædator habebit,
" Barbarus has meſſes! tanti quæ cauſa furoris,
" Quo tendant? Ipſi proprio cum pondere nutent,
" Unaque vix mundum valeat gens ferre cadentem.
" O quoties, Neptune, tuis cum fluctibus undas
" Miſcens evomui, ſeptena per ora ſonantes,
" Et vectigali tumuerunt æquora lapſu,
" Dixiſti, fore bella meis immania ripis,
" Et ſtragem campis, et ſævos urbibus ignes,
" Omniaque ingenti latè vaſtanda ruinâ.
" Magnam ſed bello gentem, et quæ diva parentem
" Te vocat, ultricem exitii cladiſque futuram,
" Venturum auxilio heroem, ſic volvere ſortes."
Vix ea fatus erat, ſummo cum gurgite Ponti,
Arces æquoreas magnâ ſe mole moventes

Conſpicit, et ventis turgentia vela ſecundis.
Has ſubmiſſa vehit regales unda, paterno
Securæ findunt albentes tramite ſulcos.
Has quoque ab adverſo Galli ſpeculantur euntes,
Et viſum horreſcunt, vexilla Britanna, Leonem.
Jam dare vela fugæ, et tutos ſe credere ponto
Inciperent, orbiſque maneret inultus, at urget
Imo corde pudor, laudiſque immenſa cupido,
Et ſtant dementes in prœlia, prœmia.....mundus.
Nunc mihi, Muſa, fave, cantuſque audacior effer,
Dic, nam ſola potes, valuit quid Nelſonus armis,
Grandia patravit quæ facta Britannicus heros,
Gallica cum magnis cecidit tot parta triumphis
Gloria, et immenſæ puppes jacuere ruinæ.
Scilicet, abruptâ ſcopulorum mole, timentes
Abdiderant claſſem Galli, et tutamine longo,
Sperabant ſe poſſe rates arcere Britannas,
Undique tormentis minitantia ſaxa rigebant.
Advolat impatiens huc Nelſonus, et loca tentans
Scrutatur quâ parte vias perrumpere poſſit,
Mox alii ſubiere duces, atque ordine longo
Inſequitur claſſis, præcepſque in prœlia tendit,
Quales cum ſævi mediâ ſub nocte leones
Exitium armentis latè meditantur, et arva
Hùc illùc taciti explorant, furit intus anhelis
Pectoribus rabies, prædæque cruenta cupido;
Anglica ſic claſſis, cautes interrita luſtrat,
Mille vias tentans, obſtat ſed ſaxea moles,
Obſtant et rapidis horrentia terga ſub undis.
Et jam nitentes operoſum tempus inani

Perdiderant molimine, cum Neptunus et ipſe
Natorum miſerans, indignatuſque labores,
Impellit navem, illa ruentibus ocyor euris,
Rumpit iter per ſaxa volans, atque emicat hoſti.
Mox alii preſſere aditu, et ſe condidit arce
Jam tutâ claſſis, patrii haud ignara tridentis.
Ipſe, ſerenus, ovans, puppi dux eminet altâ
Heroem ore gerens, pietas ſedet aurea vultu,
Umbrantique tegit frontem victoria lauro.
Jam tuba bella canit, ſimul horrida mille per ora
Fulmineo librata ſono, ruit ænea moles,
Impatiens, jaculata moras, pluit igneus imber,
Æs, plumbum, confuſa gemunt, et turbine eodem
Sulphureo ſublata volant, mors undique certa
Spargitur, expirant homines denſique premuntur.
Haud aliter cum ſæpè cavis fornacibus Ætna
Æſtuat eructans, ferventiaque ilia queſtu
Erumpunt longo præſagia dira procellæ,
Et ſtrident inhiantia ſpiramenta cavernis,
Mox flammarum undas candenti gurgite vortex
Evolvit torquens, liquefactaque ſaxa per auras
Effugiunt, ambuſtâ intus furit æſtus arenâ.
Ambæ ſic claſſes acri certamine fixæ
Horrendum reſonant, repetito fulminis ictu
Multa carina gemens immani ſtrage fatiſcit,
It cruor, it luctus, rapiuntur ad æthera membra,
Sanguineique artus lacerato e corpore pendent.
Sed neque Gallica vis, non ulla pericla furentem
Anglum arcere queunt, ſocio premit ipſe cadente,
Fraternaque exoptat morte jacere, ſed ultor.

Te tua magnanimum virtus quoque perdidit ardens
Dux miſerande, tuam dum cæca in prælia navem
Fervidus urgebas, fato percuſſus iniquo
Puppe jaces, luctus ſociis, hoſtique triumphus.
Te patria, O Weſtcott, doluit, doluere jacentem
Te fidi nautæ, planxit quin barbara tellus,
Afer et ingemuit ſocioque exhorruit ictu.
Ah! tibi ſi ſenſus manes ſi vita ſub imos,
Te nunc delectent luctus ingentis honores,
Hoſpitis obſcuri miſerantes excipe fletus.
Talibus ardebant iris; ter lampade terras
Luſtrarat Phœbus, radianſque effulſerat orbi,
Et ter pallida nox volvens caliginis umbras,
Blando naturam leniverat alma ſopore,
At bello non ulla quies, dum feſſa ſub armis
Brachia labuntur, pendent in vulnera nautæ
Languentes, ſed ſpirat atrox incendia vultus.
Quarta dies aderat, cum primâ luce, tuentur
Perfractam Gallorum aciem, grandeſque ruinas,
Et truncas ſine honore rates, æquataque ponto
Ardua quæ triplici ſurgebant robora pompâ.
Tunc ſævæ clades, ſpectacula dira videntur,
Luctus ubique, horror, largis fluit undique rivis
Exundans ſanguis, commixta cadavera prorâ
Spiſſâ ſtrage jacent, cæci monumenta furoris.
Ingemit his, victor, fundit clementia fletus,
Humano horreſcit madentes ſanguine lauros,
Sed patriæ mandata volunt, orbique parendum eſt.
Pugnanti plauſere Angli, plauſere gementi,
Mirati patrios generoſo in pectore ſenſus.